

Johann Friedrich Schomer

**Christos O Theos Kai Toy Theoy Yios Tois Aggelois Exochoteros I. E. De Christo Deo & Dei Filio, Præposito Græcorum Articulo, Angelis Excellentiore, Programma, Qvo Ad III. Orationes Solennes De Angelis A Totidem Lycei Wismar. Alumnis ... Ad. D. [] Habendas ... Observanter Invitat**

[Rostock]: Typis Io. Iac. Adleri, [1729?]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1836341164>

Druck Freier  Zugang



Stadtschule zu Wismar.

Programme. 1731. 1732.

Mkl h

2020  
(1731)



Landesbibliothek  
Mecklenburg-Vorpommern  
Günther Uecker

[https://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1836341164/phys\\_0001](https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1836341164/phys_0001)

DFG

1896. 2

ZfB ME  
05. Aug. 1999

entsäuert

Mull. h.  
2020  
(1731)

4

Q. D. B. V.

ΧΡΙΣΤΟΣ Ὁ ΘΕΟΣ ΚΑΙ  
ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΤΟΙΣ ΑΓΓΕ-  
ΛΟΙΣ ΕΞΟΧΩΤΕΡΟΣ

I. E.

DE CHRISTO DEO & DEI FI-  
LIO, PRÆPOSITO GRÆCO-  
RUM ARTICULO, ANGELIS

EXCELLENTIORE,

PROGRAMMA,

QVO

AD III. ORATIONES SOLENNES

DE

ANGELIS

A TOTIDEM LYCEI WISMAR. ALUMNIS  
EX LEGATO B. SAMUELIS  
PETERSENII

AD D.

HABENDAS


LITERARUM PATRONOS O. O. H.  
OBSERVANTER INVITAT

M. JO. FRID. SCHOMERUS,  
LYC. WISMAR. RECT.


---

Typis IO. IAC. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD.  
ROST, Typographi.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



A <sup>184</sup> Ω.



Ervatoris nostri JESU Christi  
in secula benedicti, divinam natu-  
ram, & omnes res creatas longe su-  
perantem excellentiam, Hebraeis de-  
monstraturus, divus Gentium Do-  
ctor Paulus, eum tanto meliorem An-  
gelis affirmat, quanto præstantius no-  
men præ illis consecutus sit. Quo-  
ndam illud nomen, mox indicat,

subjiciens, DEum nulli unquam Angelorum dixisse: *υἱός μὲν  
εἶ σὺ* Filius meus es tu, ego hodie genui te. Causa hujus asserti con-  
jectu minime difficilis. Norat quippe Apostolus, divinam  
in JESU Christo naturam, ægre sibi persuaderi passuros esse  
Judæos, qui si vel tandem largirentur, J. C. à DEO missum,  
non tamen illum reliquis Angelis creatis, tempore V. T. su-  
binde ad Prophetas missis, superiorem, multo minus ejusdem  
esse cum Patre essentia atque naturæ concessuros. Id igitur ut  
evincat, novum addit argumentum, quod omnes Angeli  
DEI eum ( J. C. ) adoraturi sint, porroque huncce DEI filium  
non adoptivum, aut ad modum Angelorum atque hominum,  
hoc honoris titulo insignitum, sed naturalem DEI Filium,  
DEum verum, de DEO vero, ex nomine demonstrat, quod  
dictum *πρὸς τὸν υἱὸν ὁ Θεὸς σὺ ὁ Θεὸς* ad filium Thronus tuus o

A 2

DEUS

*DEus in secula seculi ... dilexisti justitiam & odio habuisti iniustitiam, propter hoc unxit τὸ ὁ Θεὸς ὁ Θεὸς σὲ, te o! DEus, DEus tuus oleo justitiae praefortibus tuis. Quilibet ingenuus, & à partium studio alienus arbiter, hæc perpendens, fatebitur, non potuisse Apostolum verbis planioribus, aut phrasi magis perspicua, de divina, in servatore nostro, essentia testimonium dicere. Proinde satis mirari nequeo, qui JO. CLERICUS, Vir magni ingenii, multæ lectionis, & eruditionis minime vulgaris, quique sacras litteras non oscitanter legisse videri cupit, ita hallucinari potuerit, ut affirmet Christum JESUM nullibi locorum, sacris in litteris, τὸν Θεὸν aut τὸ Θεὸν cum articulo appellari, neque ullum Christianum primis à nato Christo temporibus, illum hoc elogio ornare sustinuisse. Quin eum aliquid monstri alere, eo magis suspicandum, quod occasio, hanc observationem in publicum emittendi, ipsi non tam oblata, quam ab eodem arrepta videtur. De quo ut eo liquidius judicare possit L. B. integra ipsius verba adscribemus: ubi prius monuerimus, in iis, quæ proxime antecedunt, mentionem fecisse JO. CLERICUM (a) litterarum ABGARI Adestenorum Regis, ad Christum scriptarum, & Christi ad easdem datæ responsionis fidemque harum litterarum, ex Evangelistarum silentio, merito suspectam fieri affirmasse; quibus præmissis sed est, pergit, in ipsa Epistola Abgari locus, quo suspecta minimum fieri potest, ubi, memoratis multiplicibus Christi miraculis, sic loquitur: Omnia hæc cum de Te audissem, in animum meum induxi, alterutrum horum duorum esse oportere; aut te esse DEUM, qui è cælo descenderis & hæc facias: aut esse filium DEI, qui hæc patres. Quæ verba neque Ethnico, neque meliora edocto satis conveniunt, præsertim si græca attendamus, quæ in linguam latinam transferri nequeunt; sic enim habet; ὅτι σὺ εἶ ὁ Θεὸς --- ἢ υἱὸς εἶ τῶ Θεῷ. Articulus ostendit, intelligendum eum, qui κατ' ἐξοχὴν DEUS dicitur; hoc est*

(a) JO. CLERICUS in *Historia Ecclesiastica duorum primorum à nato Christo Seculorum*. Amstelod. MDCCXVI. forma quarti ordinis, ad Ann. XXIX. §. XIII. p. 332.

est DEum Patrem; quae loquendi ratio in Ethnicum non quadrat, quis potius omisisset Articulum, ut DEus quispiam, Θεός τις, intelligeretur; nam ο Θεός & τὸ Θεὸν vices sunt loquendi genera, quae iis propria sunt, qui unum DEum norant; nisi in sermone Ethnicorum, qui, certi cujusdam DEI mentione facta, sic loquuntur. Nec Christi-  
 anus dixisset, eo aeo, Iesum esse τὸν Θεόν, ut norunt, qui scripturam non oscitanter legerunt. Quin etiam Viri Docti in oratione Thaddei, de qua postea, loquendi hanc rationem quasi suspectam, notarunt, ac se vera e nonnullis MSS, abest. Nec est quod reponatur Syriacam linguam, & quidem Osdroëna non satis nobis notam, esse ab Interprete expressam; nam si fuerit Emphascos nota addita, ut in lingua Hebraica & syriaca saepe fieri solet, debuit quidem exprimi graco articulo. Sed quid sibi volet ea Emphasis, in ore hominis Ethnici? Significabitur DEus ille unus, qui colebatur à Judeis, an alius certus, cujus nomen omittit? Atqui nec DEum unum Abgarus colebat, nec alium, sine nomine, designasset; nisi sine Emphasi, aut addita quapiam vocula, qua significaretur quidam singularis DEus. En tibi integra Clerici verba, eum in finem exhibita, quo eo melius L. B. judicare possit; Utrum mens ipsius ea sit, qualem eandem interpretamur, an vero falsam ipsi affingamus sententiam. Nolumus hac vice inquirere, utrum Epistola Abgari genuina sit, nec ne, multo minus illam litem nostram facere. Nos non fugit, Calvino - Reformatorum quam plurimos, ut & multos ex castris Pontificiorum v. g. ERASMUM, CANUM, BELLARMINUM, DU. PIN, & NATALEM ALEXANDRUM hanc Epistolam supposititiam censere; qui tamen auctoritate Gelasii Papæ inducti id facere accusantur a GRABIO (b) fit per nos supposititia, cum alias Viri doctissimi & in Hist. Eccles. versatissimi, MONTACUTIUS (c) Caveus, (d) aliique

A 3

- (b) JO. ERNEST. GRABIVS in Spicilegio S. S. Patrum & Hereticorum Sec. post Christ. nat. I. Oxon. 1700. Octav. p. m. I.  
 (c) MONTACUTIUS in Origin. Eccles. Tom. I. Part. poster. p. m. 63.  
 (d) GUILIEL. CAVEUS Script. Ecclesiast. Hist. Liter. edit. Genev. 1705. fol. p. m. 2.

aliquæ hoc in medio relinquendum existiment, quorum sententia lubenti animo subscribimus. In præsentia tantum contendimus, allatum à CLERICO medium terminum, id non evincere, sed potius multa in ejus argumentatione desideranda esse. Aut enim me omnia fallunt, aut dantur ibidem plures Theses Socinismum redolentes e. g. Patrem esse *καὶ ἐξοχῆν* i. e. secundum excellentiam velementiori gradu DEum. Si quis appelletur *θεός* sine articulo, id esse minoris, quam cum articulo. Christum eo tempore non appellatum *τὸν θεόν* aut *υἰὸν τῷ θεῷ*. Omnes modo enumeratas theses falsas, ab Ecclesia Christo fideli rejectas, Scripturæ S. contrarias in falsam insistentes hypothesein & Socinismi veneno infectas pronunciare nulli dubitamus. Quod ad Ecclesiæ consensum & sententiam attinet, audiamus Libros ejus symbolicos & quidem symbolum ATHANASII nomine receptum & ab universa Christi Ecclesia adprobatum. *Patris Filii & Spiritus sancti una est divinitas NB. æqualis gloria & coeterna majestas --- & in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil NB. majus aut minus --- Est ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noster J. C. DEI filius, DEus & homo est, DEus ex substantia Patris ante secula genitus & Homo ex substantia matris in seculo natus. Perfectus DEus, perfectus Homo, ex anima rationali & humana carne subsistens NB. æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Et si vel maxime Dominus noster JESUS CHRISTUS Patrem se majorem dixit. Joh. XIV. 28. coll. Joh. X. 29.*

Hæc ut in diebus carnis suæ prolata, de statu profundissimæ exinanitionis, ubi plenario divinæ majestatis usque sponte se abdicarat, interpretanda, suadent ista loca, quibus se & Patrem unum esse dixerat Joh. X. 30 & cum Judæorum indignatione *ἴσων ἑαυτὸν τοῖς τῷ θεῷ* DEO se æqualem fecerat, Joh. V. 19. si ergo filius Patri in divinis per omnia æqualis, æqualia cum ipso habet, Phil. II. 6. & omnia Patris Joh. XVI. 15. XVII. 10. ita ut plenitudo Deitatis in ipso habitet, Coloss. II. 9. quin ordo iste, quo Pater primo loco ponitur, tantum

tum naturalis enumerationis ergo, nec perpetuo observatur, uti ex 2. Cor. XIII. 13. ubi filius Patri præponitur, apparet, qui poterit Pater κατ' ἐξοχήν DEUS appellari.

Similem in modum fallit altera observatio, majoris esse momenti Θεὸν appellari cum, quam sine articulo. Si fateri volumus quod res est, in articuli usu Græci, non minus ac Hebræi, Chaldæi & Syri cum ׀ demonstrativo & statu emphatico, iusto sunt liberaliores, unde eum non semper emphasin continere, observarunt Philologi certosque posuere Canones, quando emphasi sua non destituatur. (e)

Non heridemum aut nudius tertius istius modi emphasis in Artic: quæsitæ, sed DIDYMUS, ALEXANDRINUS, vitæ genere Monachus, scholæ Catechesæ Alexandrinæ præfectus, qui circa annum CCCLXX. clarus, adversus omnis generis hæreticos præsertim Arianos validissime disputavit, teste CAVEO (f) hanc olim de Sp: S: regulam tradidisse fertur: *Apostoli quando intelligi volunt personam Sp: S: addunt articulum τὸ πνεῦμα, sine quo Sp. S. dona notantur.* Fallere vero hanc regulam, patet, ex Ephes. IV. 24. 1. Theff. V. 18. 1. Ioh. IV. 1 ubi τὸ πνεῦμα cum artic. Sp. S. dona, & contra Ioh. III. 5. 1. Cor. XII. 11. Epist. Iudæ v. 19. ubi πνεῦμα sine articulo, Sp. S. personam designat. Conf. GLASSIUS (g) Eadem incesfit via, ASTERIUS, patria cappadox, professione sophista, religione gentilis, dein Christianus, mox Pauli Samosatani Assæcla, ipsique Ario familiaris, cujus etiam causæ deesse noluit, circa annum CCCXXX præcipue celebris (h) Hic Christum, DEUM verum, de DEO vero profiteri recusavit, quod 1. Cor. I. 24. diceretur tantum: Θεὸς δυνάμεις, non vero ἢ Θεὸς δυνάμεις,

(e) GLASSIUS in *Philolog. Lib. III. Tract. II. Can. I. seqq. p. m. 691. seq. edit. Lip. 1713.*

(f) *l. c. p. m. 160.*

(g) GLASSIUS *l. c. Can. III. p. m. 698.*

(h) CAVEO *l. c. pag. m. 126. seq.*

verus, de quo egregie omnino GLASSIUS (i) *Miserrum sane & lubricum fidei & perfidia potius Ariana fulcrum, cum indifferenter Articuli vel ponantur, vel omittantur, in his loquendi formis.* Ubi simul Asterii observationem confutatam, legere licet.

Non quidem obscurus fuit hic sententiæ in Clerico reprehensæ, Promachus, sed adest tamen nobilior quidam Hæresiarcha, PHOTINUS, medio seculi à Christo nato quarti: Christum IESUM ψιλὸν ἀνθρώπων i. e. nudum hominem, ex Maria virgine initium habuisse, docens (k) Hujus enim castra secuti, tradidere regulam: *Nomen Θεὸς cum articulo solum verum Deum notat, sine articulo vero minime;* quam postea suam fecere SOCINIANI, ex quorum fontibus dubio procul hausit. CLERICUS. Sed quam misere hic anser anserem sequatur, ex nuda inspectione sacri codicis, & locorum collatione, patet; quod si enim dantur loca, in quibus Θεὸς sine articulo positum de vero æterno & summo DEO accipiendum nec sine manifesto errore de alio explicari potest.

Si rursus occurrunt, alia, novi foederis loca, in quibus vocabulum Θεὸς, cum articulo positum, non potest non de λεγομένοις Θεοῖς explicari, tum vel nobis tacentibus, quilibet, nisi studio partium captus, & occæcatus, fateri cogetur, allatam Clerici observationem, æque ac Photinianorum & Socinianorum regulam, de vocabulo Θεὸς, cum, vel sine articulo, omnium esse falsissimam. Posterioris classis exempla præmittemus, & audiemus Stephanum Act. VII. 43. Judæos arguentem: *Accepistis tentorium Molochi καὶ τὸ ἄσπερον τὸ Θεὸν ὑμῶν Ἰεμφάν,*

(i) l. c. p. 699. confer sis PETR. ZORNII *Diss. de Phraseologia Dogmatica ex analogia rituum exponenda* Cap. I. §. II. hab. Rostoch. 1706. *Qui igitur, scribentis, nimis illi ( articulo ) tribuunt, facile emphasin perdunt, dum emphasin querunt. Quin imo inepta est & inanis hæc de Articulo contentio; in quo nimis odiose ac putide consuetari solitus fuit BEZA tanquam ubique ἐμφαντικῶς usurpetur, græcus articulus, teste PETAVIO Lib. III. cap. 8 §. 13. &c.*

(k) CAVEUS l. c. p. m. 699.

Ἰαστρον, Ἰαστρον *Astrum DEI vestri Remphan, figuras quas fecistis, ut adoretis* Act. XV. 10. juxta alios 11. Turba autem videntes, quod fecit Paulus (sanando claudum) sustulerunt vocem suam Lycaonice dicentes οἱ θεοὶ ὁμοιωθέντες ἀνθρώπων *Dii assimilati hominibus descenderunt ad nos.* Nec minus perspicuus est locus, 2. Cor. IV. 4. in quibus (qui pereunt) ὁ θεὸς *DEus* hujus seculi excecavit sensus infidelium ut non splendeat illis illuminatio Evangelii glorie Christi, qui est imago τῆς θεοῦ τῆς ἀσέβειας, *DEI invisibilis.* En Tibi, utrumque, & summum DEum invisibilem, & Diabolum DEum hujus Seculi articulo insignitum. Idem Apostolus dicit ad Phil. III. 19. de inimicis crucis Christi, quorum finis interitus, ὧν ὁ θεὸς ἡ κοιλία, *quorum DEus (est) venter, quorum gloria in ignominia ipsorum, qui terrena sapiunt.* Addam unicum, in quo utrumque cernere datur, falsos DEos cum articulo, & iis oppositum verum DEum, ter sine articulo ex Epist. ad Galat. IV. 8. 9. *Sed tunc quidem non cognoscetes θεὸν DEum, servivistis τοῖς μὴ φύσει ὄντι θεοῖς, iis qui natura Dii non erant. Nunc vero postquam cognovistis θεὸν, imo postquam agniti (estis) ὑπὸ θεοῦ ἀ DEO, quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus iterum servire vultis. Nisi itaque contendere quis voluerit, Astrum Remphan, Saulum & Barnabam, Diabolum, ventrem seu voluptates carnales, & illos, quos Galati, Gentiles adhuc, & ἀ veri DEI cognitione alieni, coluere, summi & æterni DEI loco habenda; confiteatur necesse est, Socinianorum Regulam & Clerici observationem esse falsissimas. Id quod magis adhuc elucefcet, si adduxerimus loca, in quibus verus & summus DEus sine articulo indigitatur. Prodeat primus scriba, Marc. XII. 32, Servatori respondens: Bene, Magister, in veritate locutus es, ὅτι εἷς ἐστὶ θεός, quia unus est DEus & non est alius præter illum. Accinant huic Angeli, Nativitatis Christi ebuccinatores Luc. II. 14. Gloria, canentes, in altissimis θεῷ DEO. Excipiat hos, Joannes Baptista, qui erat homo missus ὑπὸ θεοῦ ἀ DEO Joh. I. 6. & ad quem factum est ῥῆμα θεοῦ *verbum DEI*, ut prædicaret baptismum poenitentiae Luc. III. 2. Pondus addat is, in cujus ore nullum unquam repertum fuit mendacium, dulcissimus humani generis*

B

Redem.

Redemptor. Qui Joh. XX. 17. Desideratissimum, de surre-  
ptione sua nuncium, Discipulis perferre, jubet Mariam, his  
verbis: *abi ad fratres meos & dic illis: ascendo ad Patrem meum, &*  
*ad Patrem vestrum καὶ Θεὸν μὲν καὶ Θεὸν ὑμῶν & DEum meum &*  
*DEum vestrum.*

Nemo, cui sana mens est, negare aggredietur, illum ad quem  
Christus abiit, qui Joannem Baptistam misit, cujus laudes  
cecinere Angeli, quem scriba unicum DEum appellavit, eum  
esse, qui veri, aeterni, ac summi DEI elogio honorandus, at-  
tamen idem is sine articulo hic & aliis scripturae sacrae locis ex-  
primitur.

Si quis allatis contentus esse noluerit locis, sed plura desi-  
deret, evolvat Rom. I. 7. 16. 17. 18. III. 21. 22. VIII. 9. 14. 16. 17.  
XIII. 1. 4. 6. XVI. 27. 1. Cor. I. 24. III. 23. VIII. 4. 6. & sexcen-  
ta alia, ob spatii angustiam hic non adducenda, sufficiat innu-  
isse in loco ultimo I. Cor. VIII 4 & 6. Paulum, sibi invicem op-  
ponere, DEos nominetenus tales, & summum DEum quem  
tamen omisso articulo nominat: *ὁ θεὸς ἑτέρος*, Nullus, in-  
quiens, *DEUS nisi unus, etiamsi enim sunt, qui dicuntur Dii, sive in*  
*coelo, sive super terra, sicut sunt Dii multi & Domini multi ἀλλ' ἡμῶν*  
*εἷς θεὸς ὁ πατὴρ nobis tamen, unus DEus est, Pater, ex quo omnia.*  
Quibus si jungimus formulam salutandi Paulinam: *Gratia vo-*  
*bis & pax ἀπὸ θεῶν πατρὸς ἡμῶν ἀ DEO Patre nostro & domino*  
*Jesu Christo*, nullus remanet amplius dubitandi locus, quin  
Pater, prima Deitatis persona, Clerico καὶ ἐξοχήν DEus, plus  
simplici vice, sacris in litteris, sine articulo nominatus occur-  
rat. Unde prona consequentia colligere datur, quale certum,  
ex observatione Clerici, Articulum ostendere intelligendum  
eum, qui καὶ ἐξοχήν DEus dicitur, expectandum.

Ejusdem, cum superioribus, farinae est audax & temera-  
rium assertum: Christianum non dixisse eo aëvo, JESUM esse  
*τὸν θεόν* neque meliora edocto satis convenire, JESUM dicere  
*ἑὸν τῷ θεῷ*. Si enim Sp. S. in sacro codice, si Evangelistæ Apo-  
stoli & reliqui JESU Christi discipuli, servatorem nostrum ita  
appellarunt, cur non idem aliis liceret. At factum hoc ne-  
minem latere potest, nisi, qui S. Scripturam in fontibus osci-  
tenter

tanter legit. Pauli testimonium ex Hebr. I. 8. 9. jam percepimus; jungenda huic confessio Thomæ Joh. XX. 28. ὁ κύριός μου καὶ ὁ Θεός μου Domine mi & DEUS mi. Item Johannis testimonium I. Epist. V. 20. Sumus in vero in Filio illius JESU CHRISTO, hic est ὁ ἀληθινός Θεός verus DEUS & vita aeterna; & denique Pauli Tit. II. 13. expectemus beatam spem, & apparitionem gloriae, τῆς μεγάλης Θεῶν magni DEI & Salvatoris nostri JESU CHRISTI. Omittimus brevitate studio Judæ. 4. Rom. IX. 5. I Tim. III. 16. Act. XX. 28. Joh. I. 1. & innumera alia, quibus J. C. Servator Θεός appellatur, licet non semper cum articulo, quamvis hujus absentia nihil detrahat virtuti & emphasi dictorum. Addituri tantum pauca quædam loca, ubi J. C. υἱὸς τῆς Θεῶν appellatur.

Primus omnium, qui hac de re dubitavit, fuit Diabolus, tentationibus certior de eo fieri cupiens, Matth. IV. 3. 6. qui tamen postea, ex obsessis, aliquoties testimonium dedit, esse servatorem nostrum talem Matth. VIII. 29. Marc. I. 24. Quod si hic solus esset, ex cujus ore hac appellatio profuisset, tum certe audirem Clericum. Verum cum PETRUS Matth. XVI. 16. JOHANNES BAPTISTA Jo. I. 34. NATHANAEL ibid. 49. MARTHA Joh. XI. 27. EUNUCHUS Reginae Candaces Act. VIII. 37. PAULUS primo post conversionem sermone Act. IX. 20. SPIRITUS S. Marc. I. 1. Joh. III. 18. hocce prædicatum Christo tribuerint, CHRISTUS ipse se talem professus Joh. X. 36. & à Summo Sacerdote interrogatus, num ὁ Χριστός ὁ υἱὸς τῆς Θεῶν Christus Filius DEI affirmando responderit, Matth. XXVI. 63. quin tota scriptura novi foederis eum in finem consignata ut credamus, quod JESUS sit Christus ὁ υἱὸς τῆς Θεῶν Filius DEI. Non video qui CLERICO in mentem venire potuerit de eo dubitare, an Christus recte hoc elogio insigniretur.

Transendum nunc esset, & inquirendum, quid Clericus sibi velit, dicens: nullum eo ævo Christianum Christum dixisse τὸν Θεόν. Aut enim intelligit eos, qui, Christo in terris obambulante, in vivis fuerunt, aut proximorum seculorum homines. Si eos, produximus testimonia, apostolorum & reliquorum Discipulorum, à Clerico diversum quiddam sentientium, & dulcissimo Servatori hunc honoris titulum tribuentium. Si vero Patres ante Concilium Niceæ habitum, intellectos

tellectos cupit, liceret vel horum verbis illum confutare, & BARNABÆ, CLEMENTIS Romani, IGNATHII, POLYCARPI, JUSTINI MARTYRIS, IRENÆI, THEOPHILI ANTIOCHENI, TATIANI, ATHENAGORÆ, CLEMENTIS ALEXANDRINI, aliorumque collecta testimonia opponere. Sed angusti, intra quos subsistendum, limites, illud hac vice non sinunt, & ne quidem allata, pro rei dignitate & necessitate ulteriori discursu illustrare permittunt. Stylus potius contrahendus, & ad id dirigendus, cujus gratia præfens susceptum fuit negotium.

Celebravimus nuper Michaelis Archangeli, & reliquorum Angelorum memoriam, DEO Angelorum Domino, pro beneficiis, Angelorum ministerio nobis exhibitis, debitas persolvendo grates. Cum itaque ex Legato omni laude dignissimi Viri B. SAMUELIS PETERSENI *ὄν ἐν ἀγίοις & ἰσακείας* aliquot essent habendæ Alumnis orationes, digna, & juvenum captui accommodata, visa est, de Angelorum indole, in nos merita, nostroque erga ipsos officio, materia, in qua ingenium & calamum exercerent. Id quod præ modulo ingenii præstitere, tres, Optimorum Parentum, minime degeneres Filii, & egregiæ spei Juvenes, primæ Classis Alumni, quorum.

DAVID ULRIC. MULLER *Meckl. Megapolit.* Ducto exordio, à Michaelis & Angelorum festo, Naturam & indolem Angelorum considerabit.

GERH. HERM. FRID. HÖFER *Brüla Megapol.* præmissis quibusdam, de oblivione hominum, Angelorum in nos merita expendet,

JOH. HENR. MEYER *Suerino Megapol.* adductis aliquot, neglecti, erga Legatos, officii, exemplis, de nostro erga Angelos officio differet.

Ad hos itaque Juvenes benevole audiendos, & alios, ut similem in modum publice prodire cupiant excitandos, Mæcenates, Patronos, Fautores, Literarum amantes studiosaque juventuti faventes Omnium Ordinum Honoratissimos, ut crastina luce Hora IX. ante meridiem, sua nos præsentia exhilarare velint, omnibus viribus, summaque animi observantia, expeto atque contendo,

LBMV Schwerin 33



\*33\$000818887\*




Landesbibliothek  
Mecklenburg-Vorpommern  
Günther Uecker

[https://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1836341164/phys\\_0015](https://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1836341164/phys_0015)

DFG





the scale towards document

ⲛⲟⲩⲟⲩⲟⲩ ( 7 ) ⲛⲟⲩⲟⲩⲟⲩ

umerationis ergo, nec perpetuo observatur,  
III. 13. ubi filius Patri præponitur, apparet,  
κατ' ἐξοχήν DEus appellari

in modum fallit altera observatio, majoris esse  
appellari cum, quam sine articulo. Si fateri  
res est, in articuli usu Græci, non minus ac  
& Syri cum demonstrativo & statu em-  
ent liberaliores, unde eum non semper em-  
, observarunt Philologi certosque posuere  
o emphasi sua non destituatur. (e)

emum aut nudius tertius istius modi empha-  
a, sed DIDYMUS, ALEXANDRINUS, vi-  
hus, scholæ Catecheseων Alexandrinæ præ-  
annum CCCLXX. clarus, adversus omnis  
præsertim Arianos validissime disputavit,  
hanc olim de Sp: S: regulam tradidisse fer-  
intelligi volunt personam Sp: S: addunt articulum  
Sp. S. dona notantur. Fallere vero hanc regu-  
phes. IV. 24. 1. Theff. V. 18. 1. Ioh. IV. 1  
n artic. Sp. S. dona, & contra Ioh. III. 5.  
pist. Iudæ v. 19. ubi πνεῦμα sine articulo,  
esignat. Conf. GLASSIUS (g) Eadem inces-  
US, patria cappadox, professione sophista,  
, dein Christianus, mox Pauli Samosatani  
Ario familiaris, cujus etiam causæ deesse no-  
CCCXXX præcipue celebris (h) Hic Chri-  
m, de DEO vero profiteri recusavit, quod  
tur tantum: θεὸς δὲ ὄνομα, non vero ἡ θεὸς δὲ ὄ-  
νομα,

in Philolog. Lib. III. Tract. II, Can. I, seqq. p. m  
Lip. 1713.

c. Can. III. p. m. 698,  
pag. m. 126. seq.